

gravius semper et periculosius visum est quam *προσκύνησις* illa et invocatio. Num ille immensus et inconprehensi(bi)lis, invisibilis et in spiritu adorandus deus hic ultra adorandus sit! Unum hoc inter alia, quæ stomachum meum commovent, subindicare libuit, sperans huius ex proxime mittendis literis tuis definitionem sufficientem. — Ceterum<sup>d)</sup> de rebus novis ex Italia pauca accepimus. Naufragium passi sunt exitiale, quod te non puto latere. Cæsar, ut ferunt, aut vita defunctus est aut decumbit graviter. Primi coniecturam inde colligunt, quod iuxta decretum suum Neapoli nondum applicuerit, ubi hibernare statuerat — dicunt enim, a Panormo eum semel solvisse versus Neapolim, sed rediisse eo, unde solverat, nimirum ob infirmitatem —; secundi, quod scilicet adhuc vivat, sive bene sive male habeat. Erasmus Furtenbach fatetur, se literas accepisse ex Ianua nuperrime<sup>e)</sup> datas, ex quibus nihil de Cæsaris obitu, sed potius de adventu eius futuro in Neapolim perceperit. Dux Mediolani, ut nosti, ad Rephaim concessit. Comes quidam intra arcem ac Anthonius de Lęva extra militibus sese muniunt, qua mente aut in quem finem nescio. Vale, vir eximie. Ex Curia Rætica<sup>f)</sup>, 21. Novembris 1535. Anthonius Traversus ab Riedperg, quondam discipulus tuus, te, præceptorem suum colendissimum, plurimum salutat.

Tuus *Ioannes Comander.*

Præstantissimo iuxta et doctissimo viro doctori Ioachimo Vadiano, Sangallensi consuli, domino ac amico suo *primario.*

a) „c“ für „t“. — b) „phariam“. — c) „aut“. — d) „Cæt.“. — e) „nuperime“. — f) „e“ für „æ“.  
l) Vgl. IV, Brief 468.

XI 33.

849. nach 851

**Christoph Schappeler<sup>1)</sup> an Vadian.**

(Zürich. 1535<sup>2)</sup> C. November 23.)

Er berichtet, dass Theodor Bibliander den Flaminius als Geschenk anerboten habe. Verdankung eines Geschenks (an Büchern?). Bitte, eine grössere Schrift über den Mönchsstand herauszugeben, und Bitte um Erhaltung der Freundschaft.

S. En, vir præcellentissime, quod abs me, tuo clientulo, petivisti, habes; id quod allocutione mea familiari a Theodoro Bibliandro nostro, prælectore Biblię mirifico, tuo percepto celeberrimo nomine facillime obtinui. Tam enim prompte a quopiam calcographo huncce<sup>a)</sup> Flamini-um seorsim posse emptum haberi, addubitabat idem alacrique animo te eo ipso auctore<sup>b)</sup> munusculo afficiendo<sup>c)</sup> sese offerebat in signum sui

erga te integri amoris. Homo videlicet tui faventissimus, quem et privatim (uti in faciem<sup>c)</sup> retulit) ob egregiam virtutem eruditionemque præcellentissime et amat et colit, qualem et te ipse modis omnibus iam dudum proclamavi, monstrum scilicet naturę, quod cum inferna descenderit, tum superna obstrusissima<sup>d)</sup> rimando ascenderit, nimirum magno ecclesię Christi fructu ac grata egrotantium consolatione adeoque singulari superum laude. Absit autem, optime Vadiane, fucus; nam id omne (ingenue fateor) monumenta<sup>e)</sup> tuorum sudorum insignia monstrant. O quam pulchrum, digito monstrari et dicier: Hic est! Ceterum<sup>f)</sup> quo tu me rursus immeritum dotasti munere chartaceo, e tuo Marte candido effluxo, haudquaquam oblitus, quin immo<sup>g)</sup> gratissimus et tuę munificentię refusor propensissimus. Fac monachismum, de quo nonnullos iam olim edidisti<sup>h)</sup> articulos, suffurato otio aliquando in lucem clarius ac uberius depingendo tradas; id quod nostri quoque peroptant. Vive ac vale cum tuis felicissime<sup>i)</sup>. Tui Christophori apud consenatores, fautores tuos candidos, memor esto, quodque domi ingenue pollicitus es, literis tuis mellifluis sæpius præstes; et loco magnarum deliciarum<sup>c)</sup> tractabo, quo tui adhuc erga me prisici favoris pignus gratissimum capiam, nec me e tuo albo unquam expungas tibi deditissimum.

En, mi Vadiane, quo denuo dissensio<sup>k)</sup> istę<sup>l)</sup> nos misellos occęptosque trahat atque præcipitet iniqua. Dei meliora!

Tuus ex animo *Christophorus Sertorius.*

Celeberrimo ac humanissimo domino Ioachimo Vadiano, doctori moderatorique clarissimo, domino, ast patrono suo observando. San Gall(um).

a) „hunce“. — b) „auth“. — c) „t“ für „c“. — d) Doch wohl für „abstrusissima“ verschrieben? — e) „monim“. — f) „Cæt“. — g) „imo“. — h) „ęd“. — i) „fel“. — k) „tio“. — l) „istęc“.

l) Vgl. III, Brief 339. — Dieser Brief muss kurz vor oder nach dem folgenden geschrieben worden sein.

850.

XI 62.

**Theodor Bibliander<sup>1)</sup> an Vadian.**

(Zürich. 1535<sup>2)</sup> November 23.

Übersendet das Büchlein des Italieners (Flaminius) und empfiehlt den Christoph Schappeler.

S. Multa erat (opus) excusatione, consul ornatissime, quod in tantis occupationibus et turbis ad te occupatissimum virum scribo, nisi eadem excusatione supersedendo vellem parcere tempori, quod rectius inpendes